

148

146

152

142

157

137

197

097

247

047

Ende

Anfang

137

cadunt rami et trunci Aloës in paradisi flumen et inde usque in Aegyptum deducuntur per aquam, homines autem ea videntes et cognoscentes retibus capiunt et care aromatariis vendunt. De hoc ligno vidi in aliqua apotheca Venetiis magnum truncum. Omnia supernatantia in Nilo Aegyptii capiunt, suspicantes esse aromatica et pretiosa. Dicunt etiam, quod quidam reperit pomum aut malum delicatissimum natantem in flumine, quo de aquis levato, cum perceperisset insoliti saporis odorisque esse fructum, eum regi Soldano pro munere obtulit, qui eam comedens tantum roboratus fuit, ut post sexcentis annis viveret.

Germinat humus illa fructum centuplum et animalia sunt foecundiora in Egypto quam alibi, tam propter pascua pinguia, quam propter potum aquae Nili foecundum. Dicitur enim, quod oves steriles, equae, asinae etc. potu Nili foecundae fiunt. Idem assurit de muliebris, quod raro invenitur foemina sterilis in Aegypto, propter Nili usum. Idecirco forte est, quod Aegyptus tam miraculositate animalium quam hominum caeteras regiones excellit.

Silvas alit Nilus arborum fructiferarum. Ibi palmae proceriores et plures crescunt, quam alibi; videtur enim Aegyptus in pluribus locis esse palmarum silva. Est autem palma arbor nobilis et insignis, sempiternae pulchritudinis et viroris, diuturnis vestita frondibus, sine ulla successione conservans folia sua tempore hiemis et aestatis, gracilis in stipite et hirsuta et proceritatis magnae, cuius radix est aspera, in profundo terrae valde fixa, truncus autem ejus est solidus et compactus, imputribilis firmitatis, non tamen habet lignum ut aliae arbores, potest enim manu truncus in nihilum resolvi per detractionem funicularum, quia totus truncus est quasi compaginatio canopi: sicut enim de calamo canopi avellitur hoc, de quo fiunt funes, sic totus truncus palmae est materia funium, unde in illis partibus non aliae funes habentur, quam de palmarum arboribus, de quarum foliis fiunt sportae parvae et magnae. A radice usque in summittatem non sunt rami, sed in capite arboris tantum sunt multi rami, ferentes fructus optimos et dulces dactylos, praedulcedine unctuosi, ac si jacuisserent in melle. In multis aliis regionibus crescunt palmi; sed non fructificant, nisi sit regio fervida, solis speculis continue percussa in terra levi sabulo et nitroso, sicut est Palaestina et Aegyptus in

